

num, quod communiter solet dici constare partibus infinitis, proportionalibus tamen, & communicantibus; de qua re agitur in disputatione de quantitate in Metaphysica.

Statu diff.  
cultati.

Difficultas ergo, quæ hoc in loco examinatur est, an sit dabile virtute diuinâ infinitum actu, seu cathegorematicum; certum siquidem est non dari naturaliter; nam cum res omnes mundi habeant aliquos terminos definitos, reponanturque in certis categorijs, inde euidenter est nullam rem esse infinitam actu: item ad productionem infiniti requiritur virtus infinita; nullum autem agens creatum, est virtutis infinitæ, ergo nullum creatum est infinitum: neque Deus produxit infinitum, fecit enim omnia in pondere, numero, & mensura, proindeque modo finito: Certum tamen est dari de facto infinitum syncategorematicum in rerum natura; nam continuum & motus habent partes infinitas in potentia, licet quolibet continuum, & quilibet motus de se naturaliter sit entitas finita.

Citantur  
Auctores.

Procedit ergo tota difficultas de infinito actu, an illud dari possit virtute diuinâ? quam communiter examinant Physici tertio Phys. circa cap. 7. & Theologi in primo sent. circa disp. 43. & 44. vt D. Bonau. D. Gregor. Ochamus, Bassolis, Aureolus, de Bacone & alij: Item Scotus in secundo disp. prima quest. 3. & Argentina ibidem: Thomista verò, prima parte quest. 7. circa art. 3. & 4. vt Hieronymus Fasolus dub. 12. & Vasquez disp. 26.

Famosa est hæc controuersa, proindeque more solito examinanda. Partem affirmantem, quod scilicet dabile sit actu infinitum creatum, saltem in aliquo genere entis, vt puta infinitos gradus qualitatis, infinitam multitudinem lapidum, & huiusmodi, tenent non modo Nominales, vt Greg. Ochamus, & alij; sed etiam quidam Reales, vt de Bassolis, Argentina, & de Bacone; & ex recentioribus Vasquez, & Fasolus: At oppositum docent D. Thomas, & Scotus, communiorque schola. Examinemus ergo pro vtraque sententia rationes.

## CLYPEVS PRIMVS.

### Rationes Nominalium.

Primam.  
Rationes  
probatæ  
pro nominali:  
est dabile  
actu in finit.  
Primum.

Quod dabile sit actu infinitum virtute diuinâ, his suaderi potest argumentis in fauorem Nominalium.

Primum sit: potentia infinitæ respondet obiectum infinitum, & potentia actu infinitæ respondet obiectum actu infinitum, sed Deus habet potentiam actu infinitam, etiam ad agendum ad extra; ergo respondet, aut saltem respondere potest tali potentia obiectum actu infinitum, ergo Deus per talem potentiam poterit efficere actu infinitum.

Secundam.

Secundum: debet nobis manifestari aliquam infinitam Dei potentiam ad extra, sed non potest melius nobis innotescere, quam si dicamus posse produci actu infinitum per potentiam diuinam, ergo dicendum est, Deum posse producere actu infinitum.

Tertiam.

Tertium. Deus producat in quolibet instanti vnus horæ vnum Angelum, cum enim sint

infinita actu in spatio vnus horæ momenta, ideo erunt post illam horam infiniti actu producti Angeli.

Quartum. In quolibet continuo sunt partes infinitæ, & illæ sunt actu, ergo sunt infinitæ actu: aut saltem Deus potest illas separare, quia quod est in potentia, Deus potest reducere ad actum.

Quartum.

Quintum. Quod Deus cognoscit, illud potest efficere, sed Deus cognoscit actu omne infinitum, ergo potest illud efficere. Maior probatur, quia potentia Dei cognoscitiua, non est potentior quàm potentia Dei effectiua, seu practica: Vnde quod poterit cognoscere potentia sua cognoscitiua, poterit efficere potentia sua practica; Minor verò probatur; Deus cognoscit omnes beatorum cogitationes tam futuras, quàm præteritas, sed cogitationes beatorum sunt infinitæ; sunt enim ad omnem æternitatem; cum autem æternitas sit infinita, saltem à parte post respectu Angelorum, sequitur quod eorum cogitationes erunt infinitæ actu; sicque Deus cognoscens illas cogitationes, cognoscat infinitum. Nec dicas esse tantum infinitum syncategorematicum; nam licet illæ cogitationes à parte rei sint successiue, cum vna succedat alteri, proinde à parte rei non sint infinitæ cathegorematicæ; attamen vt obijciuntur intellectui Diuino, ipsique representantur omnes simul, tunc induunt rationem infiniti cathegorematici; nam ratio cur à parte rei non faciant infinitum cathegorematicum est, quia non sunt omnes simul, sed successiue; vt verò representantur intellectui diuino, sunt omnes simul, ergo sunt infinitæ cathegorematicæ.

Quintum.

Sextum. Datur infinita linea curva; cum enim linea curva non finiatur, nec limitetur per suas extremitates, eo quod nullas habeat, censeri debet infinita; sed quolibet curuum potest Deus rectificare, ergo ex qualibet linea curva potest facere lineam rectam infinitam actu.

Sextum.

Septimum. Si repugnaret dari aliquod infinitum actu, hoc maxime proueniret, quia repugnaret in ratione entis, aut in ratione talis entis; non in ratione entis, cum Deus sit verum ens, & tamen infinitus actu: non etiam repugnat in ratione talis entis, nam rectè potest intelligi infinitum in quantitate: Imò hoc videtur conuenire quantitati, cum vna ex proprietatibus quantitatis sit infinitas.

Septimum.

Octauum. Qui potest facere maius, potest & facere minus saltem in eodem genere, sed de facto Deus fecit aliquid maius infinito, aut saltem fecit infinitum, nimirum vnionem hypostaticam, quæ est infinitæ dignitatis & excellentiæ, infinitique meriti, ergo &c.

Octauum.

Nonum. Omne ens reale est possibile; sed infinitum est ens reale, ergo, est possibile; quod autem est possibile illud potest poni in actu, ergo infinitum potest poni in actu. Maior patet: Minor probatur, quod patitur definitionem, illud est ens reale, sed infinitum patitur definitionem; Aristoteles enim illud definit, infinitum est, cuius est aliquid semper extra accipere; id est in collectione infinita quæcunque eius pars finita accipitur (intellige non modo de parte proportionali & communicante, sed etiam de partibus

Nonum.

tibus